Pindar
Boedeker, Johann
Pindar carmen isthmicum tertium num in duo carmina dividendum sit.

Pindar

PINDARI CARMEN ISTHMICUM TERTIUM NUM IN DUO CARMINA DIVIDENDUM SIT.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

Johann

IOANNES BOEDEKER

GUESTFALUS.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.

MDCCCXCV.

PARENTIBUS MEIS

OPTIMIS

SACRUM.

Pindarus, quem Graecorum lyricorum poetarum principem esse consentiunt, ingenio suo prope divino grammaticis ut magnas paravit animi oblectationes ita multas et graves reliquit difficultates, in quibus ne acutissimus quidem criticus quidquam proficiet, nisi et diuturna consuetudine egregia huius poetae monumenta noverit et ipse ingenii quasi quadam similitudine erit ornatus. Sed etiam ii qui hac sunt virtute insignes saepissime in difficultatibus expediendis discedunt in diversas partes. Maxime autem id quaerentes, num Isthmicum carmen tertium dividendum sit, alii aliud defendunt. Quae interpretum discrepantia mira non est; nam Pindari carminum sententiae reconditae atque raro sunt apertae; itaque quo quisque utitur ingenii acumine, magis minusve aptam interpretationem profert. Quae cum ita sint, iam in exordio huius commentarioli dicere non vereor numquam me sperasse quaestionem mihi propositam ad eum finem qui omnibus placeret me perducturum esse; attamen pro iuvenili mea parte operam navavisse atque fortasse aliquid ad accuratiorem huius carminis cognitionem profecisse iuvabit.

Ex codicum auctoritate quaestionem mihi propositam diiudicari posse nego; scholiastas autem carmina illa invenisse disiuncta manifestum est.[1]

Ante omnia quaeritur quomodo in libris manu scriptis hoc in quo versamur carmen traditum sit. In codice D[2] et in iis qui ex eo sunt exscripti carmen tertium (1—19) et quartum

[1] Singulis huius commentarioli partibus, ut statim quid demonstrare vellem cognosceres, summam praescripsi.

[2] In signandis codicibus secutus sum Mommsenum.

(20—90) leguntur coniuncta; item in codicibus Triclinianis ε et ζ carmina haec sunt contracta; deinde in Triclinianis codicibus α et β etc. haec carmina non disiuncta fuisse ex verbis ad versum 55 (*ἀλλ' Ὅμηρος κτλ.*) adscriptis *στροφὴ τετάρτη* apparet. Uno in codice B carmina separata tradita sunt, inscriptio autem quarti est omissa.[1] Id sane aliquid momenti habet quod in Triclinianis codicibus et in codice D carmina haec coniuncta nobis tradita sunt et uno in codice B disiunguntur. At codici D aliquid auctoritatis detrahit quod in eo etiam carmen Isthmicum secundum, quamquam profecto est peculiare carmen, cum tertio cohaeret. Quae cum ita sint, scire non possumus utrum carmen tertium et quartum a librario codicis D in unum contracta sint de industria an errore. Auctoritate igitur codicis D quominus contra codicis B auctoritatem utamur illa ambiguitate impedimur. Quare Tricliniani codices, qui recentiores sunt, soli possunt opponi vetustiori codici B. Unde apparet in codicibus examinandis qua nitamur ansam nobis non praeberi; nam iudicium ab omni parte certum facere non licet.

Aliter autem res se habet in scholiis. Nam in scholiis codicis B carmini quarto praemissa sunt haec verba *τοῦ τετάρτου εἴδους ἡ στροφὴ καὶ ἡ ἀντίστροφος καὶ ἡ ἐπῳδὸς ταὐτὰ μέτρα ἔχει τῷ τρίτῳ.* Deinde in ipso commentario carminis tertii carmen quartum a scholiasta commemoratur tamquam peculiare carmen; ad versum enim 15 dicit scholiasta *ἐν δὲ τῇ ἑξῆς ᾠδῇ καθόλου τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ Κλεωνυμίδας κέκληκεν;* et ad versum 18 *ἄμεινον δὲ εἰς τὰ ἐν τῇ*

[1] Sic saltem Mommsenus in editione sua docuit; Mommseni autem in libri qui inscribitur 'parerga Pindarica' pagina 5 legi haec: 'liber Vaticanus (B) disiungit eadem carmina, ut in editione mea demonstratum est, et titulo separato et interiectis inter scholia verbis *τοῦ τετάρτου εἴδους κτλ.*' Apparere igitur mihi videtur Mommsenum secum pugnare; nam in editione dicit in codice B inscriptionem carminis quarti esse omissam, in parergis autem affirmat carmina titulo separato in codice B esse disiuncta. Quam discrepantiam non contigit mihi ut expedirem. An putabimus inter inscriptionem et titulum aliquid interesse? Equidem nihil inveni quo de hac re me docerem.

ἑξῆς ᾠδῇ λεγόμενα (ἀποβλέπει.) τέσσαρας γάρ φησι κατὰ πόλεμον συγγενεῖς τοῦ Μελίσσου τελευτῆσαι. Videmus igitur scholia carminis tertii et quarti brevi de numerorum congruentia Isthmici quarti adnotatione esse interrupta et in scholiis carminis tertii bis verbis ἑξῆς ᾠδῇ significatum esse carmen quartum. Quibus ex verbis scholiorum Bergkius recte, ut opinor, conclusit duo carmina scholiastas distinxisse;[1] Friederichsius[2] autem suspicatus est scholistam duas partes, quas duo carmina esse putasset, non duo carmina invenisse. Etenim si invenisset duo carmina scholiasta, etiam duas inscriptiones eum praebiturum fuisse Friederichsius putat. Sed haec ratiocinatio haud ita valida mihi videtur esse. In initio enim scholiorum carminis quarti quod inscriptionis nulla fit mentio vix mirum est; nam primum omnino scholia Pindarica non sunt integra nobis tradita, id quod ex ipsis carminis quarti scholiis cognoscitur; nam verba scholiastae προεῖπον δὲ ὡς τῆς βασιλείας ἐξέπεσόν ποτε[3] in iis quae antecedunt non habent quo spectent; deinde non semper commentantur scholiastae inscriptionem, velut in carminis Nem. II et aliorum[4] carminum scholiis de inscriptione tacetur; tum satis clara significatio novi carminis inesse videtur in verbis inter scholia carminis tertii et quarti interiectis τοῦ τετάρτου εἴδους κτλ.; denique voce ἵπποις, quae in scholiorum carminis tertii inscriptione legitur, verisimile fit scholiastam duas habuisse inscriptiones; illud enim ἵπποις minime quadrat ad carmen quartum. Ceterum Friederichsius ipse postea videtur intellexisse argumentationem suam non firmam esse; nam in libro eius qui inscribitur 'Pindarische Studien',[5] quamquam iisdem de hac re verbis utitur atque loco supra allato, illud argumentum plane omissum est. Quae cum ita sint, speciem temere agentis me praebiturum esse non spero, si cum Bergkio contendam

---

1 Philolog. XVI p. 600.
2 Philolog. XIII p. 451.
3 Cf. Abel, scholia vetera, adn. p. 401.
4 Cf. scholia carminum Nem. III IV V Isthm. VI (VII) etc.
5 P. 95.

scholiastam duo carmina invenisse. Nihil autem aliud ex eo efficitur nisi ut iam scholiastae temporibus carmina illa separata fuerint. Nostrum igitur est carminis ipsius argumenti ratione habita perscrutari utrum suo iure illa carmina separata sint necne. Quod ad decernendum singula argumenta quae ab editoribus et interpretibus sunt allata, aut ut probarent coniungenda esse carmina aut ut evincerent distrahenda esse, proferam et deinceps examinabo; sic enim mihi optime iudicium facturus esse videor. Ac primum quidem ea argumenta quae contra carminum coniunctionem sunt allata diiudicare liceat.

Carmen quartum non modo ad Isthmicam, sed etiam ad Nemeaeam Melissi victoriam spectare atque victoriam Nemeaeam tempore priorem esse Isthmica contendo.

Melissus duas victorias reportaverat maiores: alteram in Nemeaeis ludis curru, alteram in Isthmicis nactus erat pancratio. Iam vero ii qui carmina disiuncta volunt in quarto carmine solum laudari Isthmicam victoriam eamque tempore priorem esse contendunt. Qua ex re et inde quod in tertio carmine imprimis Nemeaea victoria praedicetur viri illi docti colligunt carmina haec a Pindaro esse composita temporibus diversis et ad diversas victorias celebrandas. Quae si concedimus, carmina coniungere ineptum est. Sed illa sententia a falsis sumptionibus orta est. Quod ut evincam, singulos locos carminis quarti qui ad victoriam sive ad victorias Melissi spectant accuratius consideremus.

Duo sunt loci in carmine quarto quibus aperte Melissi victoriae commemorantur. Alter (v. 61 sqq.) hic est:

> *προφρόνων Μοισᾶν τύχοιμεν, κεῖνον ἅψαι πυρσὸν ὕμνων*
> *καὶ Μελίσσῳ, παγκρατίου στεφάνωμ᾿ ἐπάξιον,*
> *ἔρνεϊ Τελεσιάδα,*

quo loco ut propitiis Musis utatur in Melissi pancratii victoria celebranda poeta optat. Hanc Melissi victoriam in Isthmicis

ludis esse partam nobis indicatur in exordio carminis quarti, ubi (v. 19 sqq.) legimus:

ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾷ κέλευθος,
ὦ Μέλισσ', (εὐμαχανίαν γὰρ ἔφανας Ἰσθμίοις)
ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνῳ διώκειν.[1]

Alter locus est in extrema parte poematis positus (v. 87 sqq.):

ἔνθα λευκωθεὶς κάρα
μύρτοις ὅδ' ἀνὴρ διπλόαν
νίκαν ἀνεφάνατο καὶ παίδων τρίταν πρόσθεν, κυβερνατῆρος οἰακοστρόφου
γνώμᾳ πεπιθὼν πολυβούλῳ.[2]

Hoc loco tres commemoratae sunt victoriae, quas Thebis in certamine illo funebri quod Herculis liberis instaurari solebat Melissus reportaverat. Quibus in ludis postquam semel puer victoriam reportavit, vir factus bis vicerat Melissus. De genere harum victoriarum, quamquam in ipso carmine nihil est additum, vix possumus dubitare; nam pueri in palaestra corpora exercere solebant; praeterea in fine scholiorum carminis quarti legitur ‘*Ὀρσέας δὲ ὄνομα κύριον τοῦ ἀλείπτου.*’ Itaque quin in gymnasio hae victoriae sint partae, non in stadio vix dubium est. Quid valeat hic locus, quamquam nemo, quantum memini, eius rationem habuit, ad diiudicandam quaestionem nobis propositam, infra videbimus. Aperte igitur et dilucide quattuor commemorantur victoriae in carmine quarto: tres in Thebaicis

[1] Sic interpungendum esse cum Bullio consentio.

[2] In transcursu commemoro leves dissensiones de scriptura horum versuum esse ortas; cum enim in libris non interpolatis *καὶ* ante *παίδων* desit, alii legunt *παίδων τε,* alii *παίδων δέ,* novissimo autem tempore Jurenka, cui nudus genetivus *παίδων* displicuit, Nov. lect. Pind. p. 25 *παῖς δ' ἐὼν* scribendum esse censuit. Praeter Hermannum autem, qui primum *παίδων τε,* deinde falso *παίδων καὶ τρίταν* posuit, omnes una mente consentiunt ex tribus illis victoriis unam Melissum puerum reportasse. Quod enim unus de scholiastis aliud sentit nihil refert; nam corrigitur testimonio Chrysippi et paraphrastae. Cf. Bergkianae editionis poetarum lyricorum Graecorum quartae adnotatio p. 340.

ludis partae, una in Isthmicis ludis reportata. Nemeaeae autem victoriae curulis his locis mentionem non fieri manifestum est.

At praeter illos locos quos laudavi alius in hoc carmine legitur, quem et ad Nemeaeam et ad Isthmicam victoriam referendum esse cum aliis consentio. Locus (v. 37—41) est hic:

ὁ κινητὴρ δὲ γᾶς Ὀγχηστὸν οἰκέων
καὶ γέφυραν ποντιάδα πρὸ Κορίνθου τειχέων,
τόνδε πορὼν γενεᾷ θαυμαστὸν ὕμνον
ἐκ λεχέων ἀνάγει φάμαν παλαιὰν
εὐκλέων ἔργων· ἐν ὕπνῳ γὰρ πέσεν· ἀλλ' ἀνεγειρομένα
χρῶτα λάμπει —

Quibus de versibus prorsus diversae sententiae latae sunt. Nam qui carmina disiungunt solum de Isthmica victoria in his versibus agi contendunt, ceteri Nemeaeam et Isthmicam victoriam significari recte, ut opinor, affirmant. Sed priusquam ad hanc differentiam propius accedam, fusius de Hermanni sententia, quam de versu 39 et 40 protulit, me dicere oportet.

Hermannus enim, qui Nemeaeam victoriam ante Isthmicam nactum esse Melissum sibi persuasit, non victoria Isthmica, sed poetica Isthmicae victoriae laude Cleonymidarum gloriam e somno quasi suscitatam esse ex verbis *τόνδε πωρὼν γενεᾷ θαυμαστὸν ὕμνον* coniecit. Dicit enim haec:[1] 'Quae autem inde a v. 32 dicit, hac Melissi victoria laudes maiorum eius velut e somno suscitari, non sunt eo trahenda ut intermissae aliquamdiu virtutis eam victoriam novum quoddam documentum exstitisse censeamus, sed ad carminis impetrationem referri debent. Quantumvis enim egregias aliquis victorias reportarit, obscurari earum memoriam necesse est, nisi carminibus ad posteritatem perveniant. Hoc ergo dicit: fama gentis tuae nunc, cum propter Isthmicam victoriam hunc a me hymnum nactus es, veluti e somno expergefacta splendet.' Hermannus igitur non victoriis, sed carminibus ad celebrandas victorias conditis gloriam illorum suscitatam esse putat vel, ut eius sententiam

[1] Ed. Heyn. vol. III p. 399.

aliis verbis reddamus, gloriam Cleonymidarum obdormivisse opinatur, non quod victoriae non iam reportatae, sed quod eae carminibus non fuissent celebratae. Mirum! nam quae victoriae carminibus non fuerant celebratae? Veterum Cleonymidarum victorias a poetis fuisse praedicatas ex ipso carmine quarto cognoscere licet. Nam in versu 45 leguntur haec verba:

τοιάδε τῶν τότ᾽ ἐόντων φύλλ᾽ ἀοιδῶν.

Deinde veterum Cleonymidarum gloriose facta e Thebanorum memoria omnino non fuisse deposita apparet ex versu 15 tertii carminis:

ἴστε μὰν Κλεωνύμου
δόξαν παλαιὰν ἅρμασιν

et ex versu 30 quarti carminis:

οἴκοθεν στάλαισιν ἅπτονθ᾽ Ἡρακλείαις.

Quare illarum victoriarum gloriam revocare necesse non erat. At fortasse de Melissi victoriis Thebaicis et de Nemeaea eius victoria hoc loco agitur; has enim victorias iam carminibus celebratas esse Pindarus nusquam dicit. Sed hoc ineptum est; nam ad has Melissi victorias ita etiam illa verba *ἐν ὕπνῳ γὰρ πέσεν* (sc. *φάμα παλαιά*) essent referenda; at tam leviter Thebanos victoriarum civis sui esse oblitos earumque victoriarum famam dici *παλαιάν* non est verisimile. Sed cum praeter Melissi et maiorum eius victorias aliae non commemorentur, in difficultatem haud ita levem Hermanni explicatione adducimur; frustra enim quaerimus quarum tandem victoriarum memoria obscurata fuerit; nec veterum Cleonymidarum nec Melissi victoriae in oblivione erant; res autem quae non dormit, ut ipsius poetae dictione utar, cur suscitanda sit poetis non intellegitur. Huc accedit aliud. Si hoc loco cum Hermanno intellegitur carminibus, non victoriis obscuratam gentis gloriam esse suscitatam, poetae Thebano sententia supponitur ab animo eius prorsus aliena. Quamvis enim Pindarus non ignoret quanta vis in poetae laude sit posita, numquam neglegit merita victoris aut aspernatur. Recte enim Bullius[1] dicit Pindarum, quamvis

[1] Progr. gymn. Bremensis a. 1869 p. 10.

superbus sit, minime inani superbia tumere. Insolens autem et arrogans Pindarus esset, si hoc loco Melissi victoria prorsus neglecta ipsum se efferret verbis illis θαυμαστὸν ὕμνον atque gloriam suscitatam suo carmini, non victori Melisso tribueret; nam Pindari carmen victoriis Melissi nititur. Praeterea ex commemoratione Neptuni apparet tam hymno quam victoriis qui eo celebrantur famam renovari; nam profecto Neptunus hoc loco non ideo commemoratur quod carmina, sed quia victorias dedit carminum causas. Poetae sane laudibus victorias semel reportatas etiam magis vocari in lucem Pindarus haud raro dicit; numquam autem victoris merita ubi tale quid legimus a Pindaro poetae laudi postponuntur aut silentio premuntur. Nam virtutis et rerum gloriose gestarum laudem poeticam praedicare solet, non ipsam laudem.[1] Plane igitur cum Bullio consentio verba illa θαυμαστὸν ὕμνον non sic intellegenda esse quasi se ipsum hoc loco laudare et efferre in animo habuerit Pindarus, qua in re Hermannus non offendisse videtur. Melius et aptius est cum Bullio haec verba sic interpretari ut idem fere significent atque ὕμνον θαυμαστῶν ἔργων aut, id quod mihi placet, θαυμαστὸν ἔργων ὕμνον, ita ut enallage quae vocatur adiectivi subsit.[2] Ita haec verba magis cum laude victoris cohaerent atque apta et Pindari animo digna evadit sententia.

Quoniam vidimus antiquam Cleonymidarum gloriam non ideo delituisse quod victoriae gentis a poetis non celebratae aut omnino in oblivione fuissent, vix dubium est quae causa gloriae obscuratae fuerit. Profecto post antiquiores Cleonymidarum victorias aliae non iam erant reportatae, ita ut dignitas gentis et auctoritas aliquid minuerentur. Ut igitur dignitas famaque Cleonymidarum redintegrarentur, novis opus erat victoriis; victorias autem sive victoriam cum Melissus reportasset, eo ipso statim gentis gloria etiam sine poetarum laude erat suscitata. Itaque Hermanni explicatio improbanda videtur esse.

[1] Cf. exempli causa Ol. XI 4 sqq. et 11 sqq.

[2] Similiter Pindarus in v. 23 huius carminis dicit θνατὸν βιότου τέλος.

Iam ad illud accedamus in quo cardo vertitur totius huius quaestionis. Proficiscendum autem est ab Onchesti et Isthmi commemoratione, de qua Dissenus in Boeckhii editione[1] adnotavit haec: 'Videntur saepius in Onchestiis ludis et in Isthmiis certasse Cleonymidae quadrigis, unde favens deus concessit hunc genti hymnum, ut prioribus conatibus laus sua redderetur. Nam cum post victorias in Atticis et Sicyoniis ludis certassent quidem saepius, at victorias non reportassent, hymnos nacti non erant et fama factorum obdormiverat.' Sed haec coniectura minus bene mihi quadrare videtur. Neque enim Pindarus dicit in Onchestiis ludis et Isthmicis Cleonymidas certasse, sed haec loca ut sedes Neptuno sacrae commemorantur. Quod autem poeta infra v. 46 sq. de Cleonymidis praedicat:

οὐδὲ παναγυρίων ξυνᾶν ἀπεῖχον
καμπύλον δίφρον, Πανελλάνεσσι δ' ἐριζόμενοι δαπάνᾳ
χαῖρον ἵππων,

his verbis Onchestios ludos non significatos esse statim patet; illi enim ludi minime appellari possunt *παναγύρεις ξυναί* neque erant omnibus Graecis (*Πανελλάνεσσι*) communes. Isthmici autem ludi num soli sint intellegendi in dubio est. Quare hanc explicationem missam faciamus, praesertim cum aliae sint prolatae multo probabiliores et aptiores.

Ad reliquas igitur interpretationes accedamus, quas supra[2] iam adumbravimus. Heynius, Bullius, Schnitzer, Schroeder, alii contendunt in versibus 37—41 solam Isthmicam victoriam Melissi significari; nam Melissum in Isthmicis ludis vicisse ipso carmine quarto probari; Neptunum autem patronum esse illorum ludorum, neminem nescire; ergo illo loco de Isthmica agi victoria. Quod vero oppidum Onchestus commemoratur a poeta, illi viri sic interpretantur: Onchestus erat oppidum Boeotiae in quo magna colebatur Neptunus reverentia; Melissus autem erat Boeotus, nam erat Thebanus; itaque Onchesti nomine Pindarus videtur indicare Neptunum victoriam eo libentius

[1] Vol. II 2 p. 505.
[2] Cf. p. 6.

dedisse in ludis Isthmicis Melisso quod esset Boeotus. Sed hanc explicationem ab hoc loco alienam esse mihi Perthes[1] plane persuasit.

Hic enim primum demonstrat Onchesti et Isthmi aliam hic posse vim esse; deinde docet hanc aliam sententiam solam hoc loco esse veram. Quem secuti utrumque deinceps exponamus. Primum inter omnes constat Neptunum imprimis artis quadrigariae et equestris esse patronum. Neque Pindarus hoc ignorat; nam non raro adiectiva quae ad illud patrocinium spectent Neptuni nomini adiungit, velut Pyth. IV 45 *ἵππαρχος* vocatur et fragm. 243 *κλυτόπωλος*. Recte praeterea affert Perthes locum illum carminis Olympici primi (v. 71 sqq.):

ἐγγὺς ἐλθὼν πολιᾶς ἁλὸς οἶος ἐν ὄρφνᾳ
ἄπυεν βαρύκτυπον
Εὐτρίαιναν· ὁ δ' αὐτῷ
πὰρ ποδὶ σχεδὸν φάνη·
τῷ μὲν εἶπε· Φίλια δῶρα Κυπρίας ἄγ' εἴ τι, Ποσείδαον,
ἐς χάριν
τέλλεται, πέδασον ἔγχος Οἰνομάου χάλκεον,
ἐμὲ δ' ἐπὶ ταχυτάτων πόρευσον ἁρμάτων
ἐς Ἆλιν, κράτει δὲ πέλασον,

ubi Pelops a Neptuno tamquam a patrono petit ut victoriam sibi det curulem. Addi potest Isthm. II 14, ubi Neptunus Xenocrati equestrem victoriam dedisse dicitur. Unde efficitur ipso nomine Neptuni satis clare de curulibus victoriis admoneri. Quod victoriarum genus ut etiam magis in luce collocaretur, Pindarus etiam oppidum Onchestum praeter Isthmum nominavit, id quod vir ille doctus sagaciter cognovit; nam Isthmus et Onchestus illa erant loca in quibus, ut Preller docuit,[2] in honorem Neptuni imprimis curru certabatur. Huc accedit quod Pindarus in carmine tertio, quod Perthes recte pro exordio

[1] Progr. gymn. Treptoviensis a. 1871 et Fleckeiseni annales CV p. 217.

[2] Griech. Mythol.[4] I p. 592.

totius carminis habet, non unam Melissi victoriam, dico Isthmicam, sed duas, et Isthmicam et Nemeaeam, sibi proposuit celebrandas; nam dicit v. 9 sqq.:

ἔστι δὲ καὶ διδύμων ἀέθλων Μελίσσῳ
μοῖρα πρὸς εὐφροσύναν τρέψαι γλυκεῖαν
ἦτορ, ἐν βάσσαισιν Ἰσθμοῦ δεξαμένῳ στεφάνους, τὰ δὲ
κοίλᾳ λέοντος
ἐν βαθυστέρνου νάπᾳ κάρυξε Θήβαν
ἱπποδρομίᾳ κρατέων.

Quarum victoriarum cum altera esset curulis, altera alius generis, sed in Isthmicis ludis Neptuno sacris parta, suo iure Pindarus Neptunum appellare poterat auctorem victoriae Isthmicae et Nemeaeae. Sequitur ut nequaquam ineptum sit hunc in quo versamur locum ad duas illas victorias referre.

Sed contra eos qui nimia dubitandi cupiditate tenentur aliud argumentum Perthes attulit ex versibus 43—45 petitum. Quibus in versibus poeta dicit Cleonymidas etiam in Atheniensium arvis et in Sicyoniis certaminibus curules victorias reportasse atque inde laudes poetarum illorum temporum impetrasse.[1] Hi versus pronomine relativo *ἅ τε* conexi sunt parenthesi interposita cum verbis *φάμαν παλαιὰν εὐκλέων ἔργων*, ita ut hic sit verborum conexus: *ὁ κινητὴρ δὲ γᾶς . . . ἐκ λεχέων ἀνάγει φάμαν παλαιὰν εὐκλέων ἔργων (ἐν ὕπνῳ γὰρ πέσεν· ἀλλ' ἀνεγειρομένα χρῶτα λάμπει, Ἀωσφόρος θαητὸς ὣς ἄστροις ἐν ἄλλοις)· ἅ τε κεὶν γουνοῖς Ἀθανᾶν ἅρμα καρύξαισα νικᾶν ἔν τ' Ἀδραστείοις ἀέθλοις Σικυῶνος ὤπασεν τοιάδε τῶν τότ' ἐόντων φύλλ' ἀοιδῶν.* Neptunus igitur resuscitat famam gloriose factorum antiquam, quae Cleonymidis etiam in Atheni-

[1] Quomodo hi versus sint interpungendi et scribendi ad diiudicandam quaestionem nobis propositam haud ita multum valet. Equidem hanc formam versuum optimam esse cum aliis consentio:

ἅ τε κεὶν γουνοῖς Ἀθανᾶν ἅρμα καρύξαισα νικᾶν
ἔν τ' Ἀδραστείοις ἀέθλοις Σικυῶνος ὤπασεν
τοιάδε τῶν τότ' ἐόντων φύλλ' ἀοιδῶν.

Fama enim carmina poetarum, non victoriae exsistunt.

ensium arvis et in certaminibus Sicyoniis propter curules victorias laudes poetarum qui tum fuerunt paravit. Quo ex arto conexu verborum *φάμαν παλαιάν* et versuum 43—45 atque ex particula *καί* quae inest in voce *κεἰν* versus 43 recte collegit Perthes indicari gloriam Melissi ad idem genus victoriarum spectare quo etiam Cleonymidae essent gloriam nacti. Antiquam enim gloriam Cleonymidarum curulem, qua etiam antea poetarum laudem impetraverant Cleonymidae, si Melissus revocavit (nam hic profecto sensus est figuratae orationis huius loci), etiam curulem victoriam eum reportasse necesse est. Quae cum ita sint, plane cum Perthe consentio, hoc loco non de una, sed de duabus illis Melissi victoriis agi. Atque etiam curulis victoria Nemeaea magis quam Isthmica hoc loco mihi videtur in luce esse posita. Quod ut evincam, redire mihi liceat ad illum locum quo de Thebaicis Melissi victoriis agitur.

Iam supra obiter significavi harum victoriarum interpretes non satis habuisse rationem. Versibus 88—89 supra allatis docet nos poeta Melissum iam puerum Thebis vicisse, idque in gymnasio, ut supra ostendi, et deinde virum factum in iisdem ludis Thebaicis duas reportasse victorias. Quos ludos Thebaicos sacros fuisse constat Herculi. Cur igitur v. 37—41 Pindarus dicit Neptunum famam antiquam Cleonymidarum reduxisse? quod enim palmam antea tulerat Melissus in ludis Thebaicis, profecto non Neptuno, sed Herculi id tribuendum est. Herculi quominus id tribueret, Pindarus profecto eo impeditus erat quod antiqua Cleonymidarum gloria quae curru erat parta non victoriis in gymnasio, sed victoriis in stadio relatis reduci poterat. Curuli autem certamine, cuius potissimum patronus erat Neptunus, Nemeae Melissus vicerat. Itaque non falso mihi contendisse videor versus illos 37—41 potius ad curulem Melissi victoriam Nemeaeam spectare quam ad Isthmicam eius victoriam. Sane Isthmi commemoratione etiam pancratii victoriae ibi adeptae statim nobis in mentem venit. Sed restitutam esse gloriam gentis potius Nemeaeo curuli certamine quam pancratio, si quae de verborum *φάμαν παλαιὰν εὐκλέων ἔργων*

. . . ἅ τε κεὶν γουνοῖς Ἀθανᾶν ἅρμα καρύξαισα νικᾶν conexu supra dixi agnoveris, te concessurum esse spero. Unde iam apparet cur non infra post versum 48 sqq. de curuli victoria Melissi iterum poeta dixerit, id quod Bullius a poeta postulat; Pindarus enim non bis de eadem re dicere voluit, id quod Perthes iam vidit. Nam postquam curulem victoriam versibus 37—41 satis graviter celebravit, non debebat denuo statim de eadem re dicere; nam 'sapienti sat' erat.

Vidimus igitur in versibus 37—41 cum de Isthmica tum de Nemeaea victoria nos admoneri; quare non recte contendunt viri illi docti in quarto carmine Nemeaeae victoriae poetam omnino rationem non habuisse. Praeterea cum refellerimus eos qui Pindarum dixisse volunt Isthmica victoria obscuratam gentis gloriam esse renovatam, non verum est Isthmicam victoriam tempore esse priorem Nemeaea. Contra Nemeaea victoria prior est Isthmica. Nam cum ex carmine quarto[1] cognoscatur Isthmica victoria poetam motum fuisse ut carmen componeret, et cum Nemeaea victoria in eo quo Isthmica victoria celebratur carmine a poeta commemoretur, ut vidimus, sine dubio Nemeaea victoria antea iam a Melisso erat relata. Cui ratiocinationi carmen tertium adversari, quod in eo Nemeaea victoria post Isthmicam memoretur, cave credas; hoc enim ideo factum esse ut poeta leviter et commode ad Cleonymidarum gloriam curulem transiret iam alii viderunt. Neque in eo est haerendum quod Nemeaea victoria in tertio carmine magis praedicatur Isthmica. Nam cum curru Cleonymidae essent gloriam nacti, Pindarus curulem Melissi victoriam paulo gravius laudavit, ut statim in initio carminis appareret quam arta necessitudo inter Melissum et Cleonymidas ex curuli gloria intercederet. Quibus rebus expositis carmen quartum non modo ad Isthmicam, sed etiam ad Nemeaeam Melissi victoriam spectare atque victoriam Nemeaeam tempore priorem esse Isthmica apparet. Iam ad alia transeamus.

---

[1] Cf. v. 20.

Finem strophae primae carminis quarti meram esse repetitionem epodi carminis tertii nego.

In extrema parte carminis tertii leguntur haec verba:

αἰὼν δὲ κυλινδομέναις ἁμέραις ἄλλ᾽ ἄλλοτ᾽ ἐξάλλαξεν·
ἄτρωτοί γε μὰν παῖδες θεῶν,

et exeunte stropha prima carminis quarti exstant haec:

ἄλλοτε δ᾽ ἀλλοῖος οὖρος
πάντας ἀνθρώπους ἐπαίσσων ἐλαύνει.

Inter hos locos similitudinem quandam sententiarum intercedere iam scholiasta[1] vidit; dicit enim ad versum 8 carminis quarti: *ὅμοιόν ἐστι τῷ Αἰὼν δὲ κυλινδομέναις ἁμέραις ἄλλ᾽ ἄλλοτ᾽ ἐξάλλαξε· καὶ γὰρ ἐκ τούτων ὑποφαίνει τὴν περὶ τὸν οἶκον τοῦ Μελίσσου δυσπραγίαν.* Qua ex similitudine alii aliud concluserunt. Qui carmina disiuncta volunt hanc similitudinem meram esse repetitionem contendunt, quae in eodem carmine ferenda non sit. Quorum adversarii in diversas discedunt partes. Hermannus enim concedit, hanc esse languidam et frigidam repetitionem; at alia quoque in Pindaro esse quae non minus frigeant. Boeckhius[2] autem illis locis eandem sane expressam esse sententiam, sed de diversis rebus agi persuasum habet.

Initium capiamus ab illorum virorum sententia qui carmina disiungunt, atque examinemus num in illis versibus mera sit repetitio. Priore loco exponit Pindarus diebus volventibus tempus alia alias mutare; attamen filios deorum esse invulnerabiles. Certe haec aliquo modo ad Cleonymum, de quo in proxime antecedentibus sermo fuit, pertinere debent; cum autem supra de antiqua Cleonymi gloria curuli et obiter de divitiis gentis poeta dixerit, verbis illis *αἰὼν δὲ κτλ.* indicari patet gloriam curulem et fortasse etiam divitias posterorum illius non

---

[1] Abel, scholia vetera p. 402.
[2] Notae criticae, vol. I 2 p. 564.

semper in eodem statu fuisse.[1] Quod quam recte se habeat, ex versibus 37—41 efficitur, quos supra tractavimus. Nam ibi expresse poeta dicit gloriam Cleonymidarum antiquam obscuratam esse; itaque iam hoc loco tecte indicat quod postea distinctius eloquitur. De rei familiaris autem Cleonymidarum iactura postea nihil legimus; nam hanc semel in prima epodo indicari satis erat, praesertim cum hic quoque tamquam res levioris momenti adiuncta sit *τετραοριᾶν πόνοις*.

Quod autem Dissenus[2] opinatur verba *αἰὼν δὲ κτλ.* solum ad divitias Cleonymidarum spectare, errare mihi videtur; nam divitiae gentis, ut dixi, in v. 17 obiter atque solum ideo commemorantur quod gloria curulis sine divitiis pari non poterat. Nam ad alendos equos opus erat divitiis, atque divitiis Cleonymidas usos esse ad quadrigarum certamen ibidem ipse poeta significat. In aperto igitur est divitias nulla alia causa hoc loco commemorari nisi quod Cleonymidis, ut curulem nanciscerentur gloriam, iis opus erat. Summam autem vim commemoratio curulis gloriae, non divitiarum habet. Quod quam verum sit eo quoque probatur quod poeta antea dicit *ἀνδρῶν δ' ἀρετὰν σύμφυτον οὐ κατελέγχει*; his verbis etiam divitias esse significatas vix verisimile est; nam divitiae non sunt virtutes. Itaque divitiarum commemorationi hoc loco non licet maius pondus tribuere.

Prorsus aliam sententiam Schroeder[3] de hoc loco proposuit, qui et ipse carmina disiungit. De fortuna enim parum constanti poetam dicere contendit, ut Melissum admoneat de eius fragilitate. Hanc sententiam per se aptam esse non nego; hoc autem loco non admittitur. Nam cum poeta antea de fama Cleonymi et gentis dixerit, eum ad hanc ipsam respicere

---

[1] Quod poeta dicit *ἄτρωτοι*, cave credas hanc vocem solum ad vulnera spectare; nam in translationibus haec vox non raro habet notionem magis generalem; sic Nem. XI 10 legitur *ἀτρώτῳ κραδίᾳ*, id est 'animo nulla aegritudine contristato'.

[2] Ed. Boeckh. II 2 p. 503.

[3] Progr. gymn. Berolin. Ioachim. a. 1878 p. 2.

patet. Aliter sane res se haberet, si antea non de Cleonymidarum fama curuli, sed de Melissi gloria dictum esset. Ita profecto haec verba potius ad Melissum spectarent eumque admonerent; sed cum antiqua gentis fama antea commemoretur, etiam haec verba ad illam famam referenda sunt. Verba autem *ἄτρωτοί γε μὰν παῖδες θεῶν* Melissi admonendi causa poetam addidisse noli credere; prorsus enim alia est causa: supra (v. 5) dixit poeta eorum fortunam diuturniorem fore qui modestiam in rebus secundis tenerent; hic de fragilitate fortunae dicit; unde ne Cleonymidae videantur modestiam in felicitate aspernati esse, hoc loco addit *ἄτρωτοί γε μὰν παῖδες θεῶν,* quo significat illos non expertos esse nisi communem sortem humanam. Prior autem illa sententia his verbis minime infringitur. Nam eo quod in universum homines a malis non sunt liberi modestorum felicitas non impeditur quominus firmior sit et diuturnior quam eorum qui utuntur insolentia. Quare verba *ἄτρωτοί γε κτλ.* magis dicta videntur esse, ut Cleonymidae excusarentur quam ut Melissus admoneretur. Accedit aliud. In initio carminis, ut cognovimus, poeta dixit eum esse dignum laudibus civium qui aut in certaminibus aut divitiarum vi gloriam nactus modestiam teneret; deinde pergit (v. 7): *εὐκλέων δ' ἔργων ἄποινα χρὴ μὲν ὑμνῆσαι τὸν ἐσλόν.* Quo putas vocem *ἐσλὸν* spectare? Vox *ἐσλὸς* significat aut 'fortis' aut 'probus' sive 'bonus'. Si vis fortitudinis hoc loco esset intellegenda, fortes homines idem impetrarent atque ii qui in certaminibus gloriam nacti etiam modestiam tenerent, atque etiam plus impetrarent; nam *εὐλογίαι ἀστῶν* profecto non idem valent atque carmina poetarum, quibus fortes celebrarentur. Plane enim cum Disseno consentio *εὐλογίας* idem esse atque *λόγους ἀγαθούς;* sed *λόγοι ἀγαθοὶ ἀστῶν* minoris aestimari solent quam carmina poetarum. Ceterum liceat mihi ipsa Disseni verba afferre:[1] 'ne poeta tibi repetere videatur rem iam ante significatam, hoc tenebis: *εὐλογίαι ἀστῶν,* quas ante dixit, sunt

[1] Ed. Boeckh. II 2 p. 501.

λόγοι ἀγαθοὶ ἀστῶν, uti facile intelliges, si accuratius eum locum inspexeris. Duo nominaverat *εὐτυχίας* genera Pindarus, quae quamquam coniuncta habebat Melissus, poeta tamen, modestiae causa, disiunctiva sententiae forma usus est. Ergo: *εἴ τις εὐτυχήσαις σὺν εὐδόξοις ἀέθλοις κατέχει φρασὶν αἰανῆ κόρον, ἄξιος εὐλογίαις ἀστῶν μεμίχθαι* atque etiam *εἴ τις εὐτυχήσαις σθένει πλούτου κατέχει φρασὶν αἰανῆ κόρον, ἄξιος εὐλογίαις ἀστῶν μεμίχθαι.* Iam pone ultimum: qui divitiis beatus modestiam tenet, is recte dicetur admiratione et laude civium suorum dignus, minus apte dicetur carmine dignus; vides igitur recte pergere poetam: ubi vero gloriosae res gestae, praeter civium laudes etiam carminis remuneratione est opus.' Itaque si notio fortitudinis voci *ἐσλόν* hoc loco esset, Pindarus prorsus iniustus esset; nam fortis modestusque minus impetraret quam is qui solum fortis esset; haec autem sententia inepta esset. Quare alteram vim vocis *ἐσλός* praeferimus. Ita *τὸν ἐσλόν* quo spectet perspicuum est; nempe is significatur qui, quamquam in certaminibus vicit, tamen modestum animum retinuit. Poeta igitur dicit: pro gloriose factis necesse est bonum (sic nominatur is qui modestiam servat) etiam poetae carmine celebrari. Ab his verbis statim ad Melissi victorias transiens adiungit vel duas victorias eum reportasse, qua ex continuatione cognoscimus Melissum non solum propter victorias, sed etiam propter animi modestiam a poeta praedicari. Recte igitur Dissenus ad versus 1—8 in explicationibus suis adnotat: 'orditur a propria gentis laude; nam ut gens aliena fuit a fastidiosa insolentia, ita etiam Melissus.' Friederichsius[1] autem errare videtur, cum dicit versus secundi verba *κατέχει φρασὶν αἰανῆ κόρον* nihil habere in carmine tertio quo spectent; continuo enim ad Melissum haec verba sunt referenda. Neque mirum est quod Melissus hac virtute erat insignis; nam maiores eius, qui v. 26 appellantur *κελαδεννᾶς ὀρφανοὶ ὕβριος,* eadem virtute erant usi.

[1] Pindarische Studien p. 96.

Videmus igitur Melissum, quamquam bis vicerat, in modestia mansisse. Modestum autem victorem et a superbia alienum de fragilitate admonere fortunae supervacaneum est atque etiam ineptum. Quare non intellego quomodo verba illa *αἰὼν δὲ κυλινδομέναις κτλ.* possint pertinere ad Melissum, neque in hac re cum Schroedero consentio.

Neque Friederichsius[1] recte facit quod hunc locum etiam ad versum 34, ubi mors quattuor Cleonymidarum commemorarur, refert. Dicit enim haec: 'hier aber gehen die worte *αἰὼν δὲ κτλ.* auf bestimmte facta, da sie im gegensatze stehen zu dem alten ruhme und glücke der Cleonymiden.' Sane haec verba opposita sunt antiquae gentis gloriae curuli; sed de felicitate cui mors illorum virorum contraria esse possit v. 15—17 non agitur. Quare *αἰὼν δὲ κυλινδομέναις ἁμέραις ἄλλ' ἄλλοτ' ἐξάλλαξεν* ad eam pertinere non potest.

Iam ad alterum locum (v. 19—24) accedamus, ubi repetitionem esse volunt eius sententiae de qua modo disputavimus. Postquam enim poeta de Melisso eiusque gente haec praedicavit:

> *ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾷ κέλευθος,*
> *ὦ Μέλισσ', (εὐμαχανίαν γὰρ ἔφανας Ἰσθμίοις)*
> *ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνῳ διώκειν·*
> *αἷσι Κλεωνυμίδαι θάλλοντες αἰεὶ*
> *σὺν θεῷ θνατὸν διέρχονται βιότου τέλος —,*

sic pergit:

> *ἄλλοτε δ' ἀλλοῖοις οὖρος*
> *πάντας ἀνθρώπους ἐπαΐσσων ἐλαύνει.*

Indicare igitur vult Cleonymidas, quamvis pii et virtutibus insignes fuissent, a malis non afuisse. Infra autem nobis aperit quae mala illa fuerint; nam legimus v. 35 uno die quattuor Cleonymidas, quamquam gens Marti placuerit, bello interfectos esse. Apparet igitur ad hanc calamitatem verba *ἄλλοτε δ' ἀλλοῖος κτλ.* spectare, neque est cur haec verba ad ipsius curulis gloriae vicissitudinem et defectum referamus. Neque enim

[1] L. l. adn. p. 98.

temere, priusquam mortem illorum Cleonymidarum memorat, poeta dicere videtur *χαλκέῳ τ' Ἄρει ἅδον.* Nam supra dixerat poeta Cleonymidas semper dei auxilio floruisse atque virtutibus usque ad mortem esse usos, attamen mala ab iis non afuisse; hoc loco dicit: Marti deo placuerunt Cleonymidae, attamen quattuor gentis viri bello sunt interfecti. Vides quam arte verba *αἶσι θάλλοντες θνατὸν διέρχονται βιότου τέλος* cum hoc loco cohaereant. Itaque recte Boeckhius dixit his locis eandem sententiam de diversis rebus esse prolatam; cum Disseno autem in eo mihi videtur errare, ut ex iis quae explicavi elucet, quod putat priorem locum ad divitias, posteriorem ad certamina et mortem quattuor illorum Cleonymidarum esse referendum. Nam priore loco potissimum de obscurata gloria curuli, posteriore de omni fortunae vicissitudine cogitatur. Unde porro apparet minime meram repetitionem hoc loco inveniri; neque Hermannus recte facit quod ea de re poetam vituperat. Pindarus profecto in hoc carmine difficilem materiam sibi proposuit celebrandam; nam Cleonymidae, quamquam semper usi erant virtutibus, nec in certaminibus curulibus nec in bello semper fuerant felices; de his diversis casibus tacere ab ingenuo Pindari animo alienum erat; eo autem factum est ut bis, sed in diversis rebus de fragilitate diceret fortunae. Omnia enim in unum locum congerere quae dicenda videbantur, Pindarus noluit; nam amat, si res ita fert, tristia laetis, laeta tristibus immiscere, id quod recte Dissenus in explicationibus suis ad hunc locum adnotat.

Restat ut paucis de Mezgeri[1] sententia dicam. Qui contendit Pindarum de industria iisdem vel similibus dictionibus usum esse, ut sententiarum cohaerentiam ostenderet. Nolo diiudicare quantum in reliquis Pindari carminibus hoc valeat; duobus huius carminis locis, quos modo tractavimus, similia in diversa rerum cohaerentia dicta esse demonstratum est. Itaque hoc quidem carmine haec opinio non confirmatur.

[1] Pindars Siegeslieder p. 278.

Neque Schroederi de hoc loco sententia mihi placet, qui verbis *ἄλλοτε δ' ἀλλοῖος κτλ.* Pindarum voluisse Melissum consolari contendit. In quo niti videtur iis quae Bullius de hac re dixit. Hic enim Nemeaeam victoriam curulem tempore posteriorem esse Isthmica persuasum habet atque contendit Melissum, priusquam pancratii victoriam reportaret, frustra curulibus certaminibus iam interfuisse. Sed in hac re Bullium errasse supra[1] vidimus; nam Nemeaea victoria ante Isthmicam fuit. Itaque non erat cur Pindarus Melissum consolaretur; nam Melissus ubique vicerat. Sed fortasse Schroeder cogitavit Melissum cladibus Cleonymidarum aut morte quattuor illorum virorum tristitia esse affectum. Attamen num id Schroedero in animo fuerit certo diiudicare non possum; nam vir ille satis habet sententias suas proponere neque curat plenius et longius eas explicare et probare. Sed si hoc cogitavit, errat. Nam propter infelices Cleonymidarum quorundam conatus vix demisso animo erat Melissus. Infra enim videbimus Cleonymidas fraude adversariorum in illis certaminibus non vicisse, non quod virtute carerent. Haec autem potius bonae spei et confidentiae quam tristitiae et demissi animi causa erat. Neque aliter se habet quod quattuor Cleonymidae bello erant interfecti. Primum enim in dubio est num intima cum illis viris consuetudo fuerit Melisso. Fortasse ipse illos viros natu minor non noverat; sed si noverat eos eorumque commercio erat usus, illum dolorem Melissus profecto tum iam deposuerat; videmus enim eum festos illos dies qui Nemeae et in Isthmo celebrabantur egisse neque obstitisse quominus victoriae suae ibi partae sollemniter celebrarentur. Haud enim dubie hoc carmen aut in festo gentis Melissi aut in Thebanorum conventu cantatum est. Itaque etiam tum tristi fuisse animo Melissum non est verisimile. Verba igitur *ἄλλοτε δ' ἀλλοῖος κτλ.* consolandi Melissi causa a Pindaro dici vix credibile est. Multo verisimilius mihi videtur poetam etiam his verbis voluisse impedire quominus de Cleonymidis male iudicaretur. Nam cum supra iam de gloria

[2] Cf. p. 13.

curuli non semper constanti dixisset atque etiam hoc loco alios casus attingere coactus esset, ii sane qui virtutes Cleonymidarum non satis perspexerant, sua ipsorum culpa aut quod virtute caruissent aut quod nescio quo facinore deorum iram movissent, Cleonymidas rebus adversis esse afflictos facile poterant cogitare. Quod ne fieret, similiter atque in tertii carminis fine etiam hoc loco Cleonymidas poeta ab iniquo iudicio defendit, cum dicit homines non semper eodem uti solere vento secundo. Melissi autem consolandi causa haec verba dicta esse cur statuendum sit nullam video causam.

Iam redeamus unde aberravimus. Vidimus meram repetitionem hoc loco minime inveniri. Sed praeterea etiam aliud argumentum contra carminum coniunctionem prolatum est. Schroeder enim l. l. dicit haec: 'denique ineptissimum foret c. IV cum tertio coniunctum propter III 5—6 *πλαγίαις δὲ φρένεσσιν οὐχ ὁμῶς πάντα χρόνον θάλλων ὁμιλεῖ (ὄλβος).*' Equidem nihil video in his verbis quo coniungere carmina vetemur. Altius autem quominus hanc rem persequar ab ipso Schroedero impedior; nam hoc quoque loco satis habet ipsam sententiam suam pronuntiasse, neque video quae ratio omnino verbis III 5 et 6 cum carmine quarto intercedat.

Quoniam ad irritum redegimus ea quae contra carminum coniunctionem sunt dicta, nunc ad ea accedamus quae in utroque causas offensionum et suspicionum dederunt. Schnitzer[1] enim carmen tertium a grammatico nescio quo postea esse praescriptum quarto opinatur et Schroeder l. l. licentius exspatiatus excogitavit carmen quartum Pindaro non iam placuisse, postquam Nemeaea victoria a Melisso esset reportata; quare poetam alterum carmen (Isthm. III) composuisse; quartum autem carmen propter venustatem nonnullorum carminis locorum non deletum, sed privatim cum amicis sive cum victore a poeta esse communicatum. Quamquam uterque falsa illa coniectura utitur qua carmine quarto sola victoria Isthmica

[1] Progr. gymn. Ellwangen. a. 1868.

celebrari putatur, tamen, ne quid ad plenam refutationem deesse videatur, accuratius has sententias me examinare necesse est. Iam incipiamus a sententia Schnitzeri.

Carmen tertium Pindari ingenio indignum esse nego.[1]

Primum argumentum quo Schnitzer ostendere conatur tertium carmen adulterinum esse, ductum est inde quod in utroque carmine de fragilitate fortunae dictum est; hanc repetitionem a Pindaro esse alienam. Quod silentio praeterire licet; nam supra vidimus hoc aliter se habere.

Deinde ille miratur quod carmen tertium similes contineat sententias atque carmen quartum. Dicit enim haec: ‘aber auch das nächstvorhergehende in den vv. 13—17, dafs Mel. die tugend seiner verwandtschaft nicht entehre, dafs Cleonymos durch wagensiege altberühmt sei und dafs die Cleonymiden mutterseits mit den Labdakiden verwandt seien, findet sich, nur mit anderen worten, in der IV. ode wieder; z. b. v. 40 Melissos weckte den alten ruhm aus dem schlafe, vv. 21—23 u. 43—47 die Cleonymiden haben stets in tugend geglänzt und im kampfspiel mit wagen sich hervorgethan, endlich v. 25 sie gelten von altersher als hochangesehene leute in Theben und als beschützer der umwohner.’ Primum igitur vir ille contendit quod in versu 40 legitur, Melissum antiquam gloriam e somno suscitasse, etiam versibus 13—17 expressum esse. At hic non de gloria renovata sermo est, sed poeta dicit Cleonymi gloriam antiquam postea esse obscuratam; itaque altero loco de deminuta, altero de restituta gloria poeta loquitur. Maxime autem miror, quod Schnitzer contendit, etiam versus 25 sententiam versibus 13—17 contineri; nam quod Cleonymidae dicuntur Thebis semper magnis usi esse honoribus et quod *πρόξενοι* appellantur sine dubio aliud est atque id, quod in versu 17 legitur, cum Labdacidis affinitate coniunctos esse Cleonymidas. Cum autem

[1] Omnia quae huic opinioni obstant proferre non necessarium mihi visum est; nam clare et dilucide iam a Bullio l. l. exposita sunt; itaque gravissima argumenta explicasse satis habebo.

Schnitzer in his locis, qui omnino difficultates interpreti non afferunt, offendat, non mirum est eum aegre ferre quod versibus 43—47 victoriae Cleonymidarum curules et certamina enumerantur, cum antea iam memoratum sit curulem gloriam Cleonymi esse antiquam. Sed equidem non haereo in rebus prorsus usitatis; nam semper putavi et putabo minime ineptum esse eas sententias quae in exordio carminis sunt indicatae et adumbratae postea planius et uberius explicare; aliud enim Pindarus non fecit.

Praeterea vir ille doctus versus 1—8 in suspicionem vocare conatur, cum dicit sententias eorum inter se non cohaerere. Prima haec est: si quis felicitatem nactus aut illustribus certaminibus aut divitiarum vi prohibet animum ab importuna insolentia, dignus est qui a civibus laudetur; altera sic sonat: Iuppiter, magnae dantur virtutes mortalibus a te; est autem diuturnior felicitas piorum, cum perversis mentibus non aeque per omne tempus floreat. Nexus perspicuus est. Praedicatur animi modestia atque continentia praeclarorum virorum duabus de causis, quod laude civium digna sit et diuturniorem felicitatem afferat. Omnes enim virtutes ait poeta a deo esse datas, sed continentem animum diutius felicitate uti solere insolenti. Tertia sententia non minus apte adiungitur. Dicitur enim hanc quoque mercedem deberi viri probi, i. e. modestiae et continentiae sensu imbuti praeclaris facinoribus ut poetae laude efferantur; nam hoc poetae officium esse voce χρὴ indicatur, ut Bullius animadvertit.

Quod denique tota carminis tertii elocutio in suspicionem a Schnitzero vocatur, id a Bullio ita est refutatum ut nihil addendum sit.

Schroederi de carmine quarto sententiam probabilem esse nego.

Schroeder arbitrariis magis quam certis rationibus adductus statuit, ut supra dixi, carmen quartum Pindaro non iam placuisse, postquam Nemeaeam quoque victoriam Melissus esset

nactus; qua de causa Pindarum quarto carmine suppresso alterum (Isthm. III) composuisse. Quartum autem carmen non deletum, sed privatim cum amicis sive cum ipso victore esse communicatum a poeta; itaque duo carmina nobis tradita esse.

Tota Schroederi sententia inde potissimum orta est quod carmina coniungi posse infitiatur; sed cum alia argumenta atque ea quae in secunda et tertia huius commentarioli parte sunt reiecta ab eo non sint prolata, per se patet totam eius de carmine quarto coniecturam iusto et firmo carere fundamento. Ac ne id quidem quod in ipso carmine quarto vituperat suo iure vituperat.

Offendit enim in eo quod in versibus 27—30 sic Cleonymidae praedicantur:

ὅσσα δ᾿ ἐπ᾿ ἀνθρώποις ἄηται
μαρτύρια φθιμένων ζωῶν τε φωτῶν
ἀπλέτου δόξας, ἐπέψαυσαν κατὰ πᾶν τέλος· ἀνορέαις
δ᾿ ἐσχάταισιν
οἴκοθεν στάλαισιν ἅπτονθ᾿ Ἡρακλείαις.
καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν.

'Fateor poetam', inquit Schroeder, 'satis prodigum esse in eiusmodi hyperbolis adhibendis: huic loco quem conferam non habeo.' Mihi haud ita difficile fuit si non aequales, attamen similes locos invenire, velut Ol. XIII 42 sqq.:

ὅσσα τ᾿ ἐν Δελφοῖσιν ἀριστεύσατε
ἠδὲ χόρτοις ἐν λέοντος, δηρίομαι πολέεσσι περὶ πλήθει
καλῶν, ὡς μὰν σαφὲς
οὐκ ἂν εἰδείην λέγειν ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν,

quocum cf. eiusdem carminis v. 29:

ἀντεβόλησεν
τῶν ἀνὴρ θνατὸς οὔπω τις πρότερον.

Et quod Cleonymidae virtutibus suis columnas Herculis attigisse dicuntur, idem de Therone praedicatur Ol. III 43 sqq. His igitur locis non minus abundare laudem non negabis. At etiamsi hi loci in Pindari carminibus non legerentur, quid referret? Ita enim cogeremur concludere praeter Cleonymidas

alios Pindaro tali laude dignos non esse visos. Quod autem Schroeder hanc Cleonymidarum laudem eo magis miram esse putat quod non semper eorum conatus secutus sit prosper eventus, quocum pugnare ei videtur Pindaricum illud *διάπειρα βροτῶν ἔλεγχος* (Ol. IV 18), nihil eo efficitur. Primum enim Cleonymidae, quippe qui Athenis et Sicyone vicissent, minime semper caruerunt secundo eventu quo eorum virtus probaretur; propter clades autem in maioribus ludis acceptas, cum fraude adversariorum, non virtutis defectu exstitissent, ut infra videbimus, virtus gentis Pindaro non potuit videri minus magna. Praeterea poeta non ex victoriis solum, sed etiam ex pio Cleonymidarum animo atque vicinorum patrocinio auctoritatem gentis repetit. Materia igitur satis magna Pindaro erat suppeditata a Cleonymidis quae laude esset digna. Itaque non est quod in eximia gentis laude offendamus. Quodsi paulo abundantius poeta gentem praedicasse videtur, hoc est tenendum, Cleonymidas fuisse Thebanos; populares autem suos toto pectore atque copiosius laudare poetam Thebanum decet. Minime igitur hac re suspicio moveri debet. Itaque cum alia argumenta contra carmen quartum Schroeder non protulerit, tota eius sententia ad irritum cadit.

Quoniam refutavimus quae contra carminum coniunctionem dicta et quae in utroque carmine vituperata sunt, nunc ad eam transeamus partem qua ostendere conabimur carmina coniungi necesse esse.

Metro carmina coniungere cogimur.

Disiunctioni carminum illud potissimum repugnat quod utrumque carmen eodem metro scriptum est. Nam neque Pindarus neque ceteri poetae iisdem numeris in diversis carminibus unquam usi sunt, quantum quidem ex iis quae supersunt iudicare licet. Recte igitur Friederichsio, Schnitzero, aliis haec res magni videtur esse momenti. Neque vero Bergkio contigit ut hanc difficultatem expediret. Quod enim probare conatur

hoc consulto factum esse, quod in honorem eiusdem victoris haud dubie brevi intervallo et maius et minus carmen compositum esset, valde errare videtur. Nam recte Hermannus[1] dicit: 'mirum foret, si Pindarus, qui tantopere numerorum varietate delectatur, non modo duo carmina eodem metro scripsisset, sed etiam ad eundem misisset victorem. Quae res adeo mihi videtur insolens ut quidvis potius tentandum quam disiungenda ista carmina existimem.' Deinde Bergkii sententiae obstare recte Friederichsius[2] vidit Ol. II et III, IV et V, X et XI, Pyth. IV et V, Nem. I et IX, Isthm. IV et V, quae carmina, quamquam in eiusdem composita sunt victoris honorem, diverso metro scripta sunt. Quod autem Bergkius conicit illa in quibus versamur carmina haud dubie brevi intervallo composita esse, nihil est nisi suspicio quae probari non possit. Quin etiam, si re vera alterum carmen non multo tempore post alterum conditum esset, etiam magis metrorum congruentia suspecta videretur, quoniam firmius alterum carmen etiam in memoria Thebanorum haesisset. — Tempus autem, quod interest inter Nemeaeos ludos, qui initio aestatis quarti et hieme primi olympiadis anni instaurabantur,[3] et proximos Isthmicos ludos, qui vere secundi et quarti olympiadis anni fiebant, brevius fuisse quam ut Pindarus novum carmen novo metro usus componeret et doceret, non est credibile. Quae cum ita sint, vix infitiari possumus metrum valde obstare quominus carmina disiungantur.

Sed alia etiam sunt quae ut carmina coniungamus suadeant. Friederichsius[4] enim nec carmen tertium Pindaricum in modum finiri nec carmen quartum habere prooemium Pindaricum cum Disseno[5] consentit, unde carmina coniungenda esse uterque

[1] Not. ad Pind. p. 398.

[2] Pindarische Studien p. 96.

[3] Disceptatur de hac re. Secutus sum Droysenum, qui de tempore horum ludorum disputavit in Hermae XIV p. 1 sqq.

[4] Pindarische Studien p. 96—97.

[5] Pindari carmina II p. 549.

iudicat. Quam difficultatem Bergkius, qui tenaciter carmina etiam in quarta poetarum lyricorum editione separat, effugere conatur, cum cogitatione sibi fingit carmini tertio finem et quarto carmini iustum prooemium deesse; Schroeder autem omnino negat Friederichsii iudicium recte se habere. Nostrum igitur est hanc rem subtilius investigare et examinare.

Carmini tertio iustum exitum esse nego.

Initium capiamus a sententia Schroederi, qui carmina illis vitiis libera esse probare conatur. Ac primum quidem videamus num tertium carmen in se sit perfectum et absolutum.

Schroedero in versu 18 apte oratio recurrere videtur ad sententiam in initio carminis positam; hic autem poetam adhortari ad moderationem et animi continentiam; deinde in extremo carmine a poeta gloriosum et divitem victorem admoneri ne in prosperitate sua hominem se esse obliviscatur. Nos aliter sentimus. Nam cum supra[1] viderimus Melissum non propter victorias solum, sed etiam propter animi modestiam a poeta laudari atque Cleonymidas veteres continentia et moderatione semper fuisse praeditos, haud ita verisimile mihi videtur esse in ipsa adhortatione et admonitione moderationis et animi continentiae versari summam illorum versuum qui in initio carminis leguntur. An putas Pindarum sententiam ponere in exordio carminis quae cum laude victoris non cohaereat? Immo locus hic communis simul ad proprias Cleonymidarum et Melissi virtutes respicere videtur. Qui quod modestiae et continentiae sensu imbuti erant, illa admonitione non egebant. De moderatione ergo et animi continentia in initio carminis agitur, unde laus Cleonymidarum et Melissi ducatur. Deinde supra cognovimus versum 18 minime esse dictum Melissi admonendi causa, sed referendum esse ad id quod proxime antecedit, dico gentis gloriam curulem. Id autem certum est, Pindarum numquam carmina sua sic finisse ut

[1] P. 17.

victorem de adversis gentis suae rebus admoneret, ut in v. 18 fieret, si is carmen finiret. Plane enim cum Friederichsio consentio, qui de hac re dicit haec: 'wohl erinnert Pindar am schlufs eines gedichtes durch einen allgemeinen satz an die hinfälligkeit menschlichen glücks; hier aber gehen die worte *αἰὼν δὲ κυλινδομέναις κτλ.* auf bestimmte facta, da sie im gegensatz stehen zu dem alten ruhm und glück der Cleonymiden; konnte aber Pindar damit ein gedicht schliefsen, dafs er den sieger an das unglück seines geschlechts erinnert? vielmehr ist es seine weise, da, wo er unglück zu erwähnen hat, diesem vergangenen unglück das neue glück der gegenwart, das der sieg herbeigeführt hat, gegenüber zu stellen, um jenes vergessen zu machen. Ein gedicht, das mit v. 18 schlösse, wäre nicht eben geeignet, die freude des siegers zu mehren.' At Schroeder etiam carmen Ol. VII similiter finiri contendit; allegat enim versum 94 sq. huius carminis, quo sane similis exprimitur sententia. Legimus enim ibi haec verba:

ἐν δὲ μιᾷ μοίρᾳ χρόνου
ἄλλοτ᾽ ἀλλοῖαι διαιθύσσοισιν αὖραι.

Attamen si sententiarum cohaerentiam perspexeris, videbis hanc prorsus aliam esse. Nam in carmine Ol. VII verba illa non ad res perfectas spectant, sed in universum sunt dicta; finis autem carminis Isthmici ad obscuratam gentis gloriam curulem spectat. Iam vero si in universum poeta verba illa ad Melissum diceret, penes Melissum fuisset omnia adversa quae instarent modestia atque fortiter audendo superare; nunc autem de gentis suae calamitatibus monetur Melissus quae acciderant neque iam mutari poterant. In carminis autem illius Olympici fine longe alia res est, quod Diagoras prudenti et forti animo quaecunque imminebant pericula[1] evitare poterat. Itaque similibus illis verbis illo loco molesta, hoc loco apta fit conclusio carminis. Recte igitur Friederichsius contendit Pindaricum in modum carmen tertium non concludi.

[1] Cf. Dissenus ad h. l.

Carmen quartum habere exordium nego Pindari consuetudini consentaneum.

Ut supra dixi Friederichsius carmen quartum Pindarico more exordiri negavit; Schroeder autem contrariam sententiam tenet nisus carmine Olympico XIII et Pythico IX, ubi quid canere vellet in ipso limine poeta simpliciter significaverit. Carmen illud Olympicum sic incipit:

Τρισολυμπιονίκαν
ἐπαινέων οἶκον ἅμερον ἀστοῖς,
ξένοισι δὲ θεράποντα, γνώσομαι
τὰν ὀλβίαν Κόρινθον κτλ.

et carmen Pythicum nonum sic:

Ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν
σὺν βαθυζώνοισιν ἀγγέλλων
Τελεσικράτῃ Χαρίτεσσι γεγωνεῖν κτλ.

Non nego in his carminibus poetam statim in initio dicere quid canere velit. Itaque si solum in eo quod statim poeta in medias res nos rapit Friederichsius offenderet atque ideo putaret carmen quartum Pindaricum exordium non habere, errare videretur. At quid efficeretur, si initium carminis quarti Pindari consuetudini consentaneum esset? haud ita multum. Ratio enim habenda est non solum initii, sed etiam ceterarum carminis quarti partium. Causas autem quas Schroeder et alii ex ceteris carminis quarti partibus attulerunt supra refutavimus. In eo sane cum Schroedero non haereo quod ineunte carmine legitur *ὑμετέρας*, qua in re Friederichsius offendit, cum *Κλεωνυμίδαι* statim nominentur. Sed alia difficultas oritur, quam Mezger in commentario[1] ostendit. Pindarus enim, quamquam non raro multas sibi esse vias quas ingrederetur in laudando dixit, numquam hac translatione in initio carminis usus est, sed post initium, velut Nem. VI 45 sq.:

πλατεῖαι πάντοθεν λογίοισιν ἐντὶ πρόσοδοι
νᾶσον εὐκλέα τάνδε κοσμεῖν —,

[1] P. 276.

et Isthm. V (VI) 19—23:

ὔμμε τ', ὦ χρυσάρματοι Αἰακίδαι,
τέθμιόν μοι φαμὶ σαφέστατον εἶναι
τάνδ' ἐπιστείχοντα νᾶσον ῥαινέμεν εὐλογίαις·
μυρίαι δ' ἔργων καλῶν τέτμηνθ' ἑκατόμπεδοι ἐν σχερῷ
κέλευθοι
καὶ πέραν Νείλοιο παγᾶν καὶ δι' Ὑπερβορέους —,

et Isthm. II 33—34:

οὐ γὰρ πάγος, οὐδὲ προσάντης ἁ κέλευθος γίνεται,
εἴ τις εὐδόξων ἐς ἀνδρῶν ἄγοι τιμὰς Ἑλικωνιάδων.

Itaque carmen quartum initium haberet Pindari consuetudini non conveniens.

Videmus igitur carmina illa si disiungimus nos implicari difficultatibus non levibus. Quod autem Bergkius suspicatus est carmini tertio finem et quarto exordium deesse, hac suspicione opus non esse ex iis quae sequuntur apparebit. Iam enim demonstrabo quam apta sententiarum cohaerentia inter se haec carmina coniungantur.

Carmina coniungenda esse ex sententiarum cohaerentia patet.

Priusquam ad ipsam rem accedamus, nonnullae controversiae sunt diiudicandae quae mytho Aiacis (v. 52—57) motae sunt. Ex eius enim interpretatione pendet quomodo cohaerentia sententiarum sit explicanda. Verba haec sunt:

καὶ κρέσσον' ἀνδρῶν χειρόνων
ἔσφαλε τέχνα καταμάρψαισ'.[1] *ἴστε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν*
φοίνιον, τὰν ὀψίᾳ
ἐν νυκτὶ ταμὼν περὶ ᾧ φασγάνῳ μομφὰν ἔχ' ἐν παί-
δεσσιν[2] *Ἑλλάνων ὅσοι Τρῷανδ' ἔβαν.*
ἀλλ' Ὅμηρός τοι τετίμακεν δι' ἀνθρώπων, ὃς αὐτοῦ

---

[1] Sic cum Bergkio lego.

[2] Cum Bergkio lego *μομφὰν ἔχ' ἐν παίδεσσιν;* nam praeter alia praesens tempus *ἔχει* displicet.

πᾶσαν ὀρθώσαις ἀρετὰν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν
θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν.

Ante omnia quaeritur ad utrum laus Homeri referri debeat, ad Aiacem an ad Ulixem; de hac enim re iam veteres interpretes inter se dissenserunt. Quam ad litem diiudicandam utilis mihi fuit O. Schmidtii commentatio quae inscribitur 'Ulixes Posthomericus',[1] in qua ille docuit poetae Thebano Ulixis gloriam minime admirabilem fuisse. Laudat, ut sententiam suam evincat, Nem. VIII 20 sqq., ubi Pindarus Graecos, quod Aiacis gloriae invidi falsis suffragiis causae Ulixis faverint, vituperat atque explicat in probos semper invidiam concitari, non in *χείρονας* (v. 22), qua voce haud dubie Ulixes significatur. Apparet igitur dolosam Ulixis calliditatem Pindaro minime placuisse. Idem hoc loco apparet; nam in versibus 52—53, quamquam sunt in universum dicti, quin *κρέσσονα* intellegi Aiacem oporteat, in *χειρόνων* autem numero Ulixes habeatur nemo dubitat. Quae cum ita sint, vix cogitari potest *πᾶσαν ὀρθώσαις ἀρετὰν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν* ad Ulixem spectare. Nam vidimus Pindarum de Ulixe nequaquam bene iudicare; qua de re verba illa *πᾶσαν ἀρετὰν* non in Ulixem quadrant. Praeterea virtus Ulixis cur contra Graecorum reprehensionem laudibus sustentanda fuerit Homero nullam video causam; nam Ulixes in armorum iudicio a Graecis honorem impetraverat neque virtus eius neglecta erat aut contempta. Structura denique verborum quominus Ulixem intellegamus impedimur. Nam particula adversativa *ἀλλά* hoc enuntiatum opponitur ei quod antecedit; in hoc autem de uno Aiace dicitur; ergo si posterius enuntiatum non ad eundem Aiacem, sed ad Ulixem referri poeta voluisset, hoc Ulixe nominatim appellato erat significandum. Quae cum ita sint, ut laudes Homeri Ulixi tribuantur fieri non potest. Sed si Aiax intellegitur, difficultas exsistit. Ex versu enim 61 sq.:

προφρόνων Μοισᾶν τύχοιμεν, κεῖνον ἅψαι πυρσὸν ὕμνων
καὶ Μελίσσῳ —

[1] Comment. Lips.

apparere visum est Pindarum iisdem laudibus quibus Homerus Aiacem ornasset Melissum illustrare velle. Frustra autem quaerimus qua re Melissus cum Aiace comparetur. Aiax erat ab Ulixe superatus, Melissus erat victor; itaque Aiacis laus minime convenire ad Melissum videtur. Qua sententiarum cohaerentia deceptus Mommsenus[1] Homeri laudem ad Ulixem referens coniecit ut Ulixis ita Melissi victoriam non sine aliqua fraude esse reportatam; itaque similitudinem quandam agendi inter duos illos victores intercedere. Quod si ita esset, suo iure sane Pindarus diceret se pariter Melissum laudare velle atque Homerus Ulixem honorasset. Sed illa interpretatio non recte se habet; neque enim probabile est Melissi victoriam per fraudem esse partam neque ex versu 61 sq. efficitur ut Melissus cum Aiace comparetur. Nam prorsus alienum est a sincero Pindari animo fraudulentos homines laudibus efferre. A tali ratione quantopere Pindarus abhorreat ex ipsius carminibus satis clare apparet. Dicit enim Nem. VIII 37 sqq.:

χρυσὸν εὔχονται, πεδίον δ' ἕτεροι
ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδὼν καὶ χθονὶ γυῖα καλύψαιμ',
αἰνέων αἰνητά, μομφὰν δ' ἐπισπείρων ἀλιτροῖς.

Quod Pindarus deinde eiusdem carminis v. 32—34 declarat:

ἐχθρὰ δ' ἄρα πάρφασις ἦν καὶ πάλαι,
αἱμύλων μύθων ὁμόφοιτος, δολοφραδής, κακοποιὸν ὄνειδος·
ἃ τὸ μὲν λαμπρὸν βιᾶται, τῶν δ' ἀφάντων κῦδος ἀντείνει σαθρόν

atque pergit:

εἴη μή ποτέ μοι τοιοῦτον ἦθος, Ζεῦ πάτερ, ἀλλὰ κελεύθοις
ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν, θανὼν ὡς παισὶ κλέος
μὴ τὸ δύσφαμον προσάψω,

longe discrepat a laudatione fraudulenti victoris quam Mommsenus

[1] Pindaros p. 79 adn.

hoc loco pro Pindarica subicit. Nam Pindarus si victoriam per fraudem a Melisso partam celebraret, ipse faceret ut fraus superior esset vera virtute; sed non verisimile est quod in aliis vituperat Pindarum ipsum fecisse. Vix igitur recte coniecit Mommsenus Melissi victoriam per fraudem esse adeptam. Sed ut ipsa coniectura, ita eius causa infirma et caduca est. Quod enim poeta dicit *προφρόνων Μοισᾶν τύχοιμεν, κεῖνον ἅψαι πυρσὸν ὕμνων καὶ Μελίσσῳ,* non sequitur ut Melissus cum Aiace comparetur. Infra enim videbimus totum Aiacis mythum minus Melissi quam Cleonymidarum causa a Pindaro esse prolatum; pronomen autem illud *κεῖνον* v. 61, in quo Mommsenus videtur haesisse, haud dubie solum ad illos tres versus spectat qui proxime antecedunt. Quibus in versibus poeta in universum dicit optimi cuiusque poetae verba numquam oblivione obrui, sed ubique et semper esse valida. Pindarus igitur, ne suis verbis in Melisso victore praedicando desit haec vis singularis, a Musis petit ut sibi praesto sint. Quare nihil obstat quominus Homeri laudem ad Aiacem referamus. Ceterum Mommsenus[1] postea ipse sententiam suam videtur improbasse. Quod autem Homerus magis Ulixem, quem proprio carmine celebravit, ad caelum extulit quam Aiacem, eo cave credas eam quam sequimur interpretationem tolli; nam Schmidtius l. l. et Bergkius scholiastam secuti suo iure contenderunt Pindarum Homeri nomine Aethiopidis auctorem appellasse; itaque Odyssea procul est habenda. Plane igitur cum iis consentio qui Homeri laudem Aiaci tribuunt. Ita sententia evadit haec: virtute insignes homines saepe a deterioribus superantur, velut Aiax a Graecis vituperatus est; at Homerus virtutem eius in lucem revocatam posteris servavit.

Iam quaeritur quid mythus Aiacis hoc loco sibi velit. Cum in toto carmine non legatur Melissum unquam fuisse superatum, et cum supra viderimus Nemeaeam eius victoriam ante Isthmicam fuisse, omnes huius mythi interpretationes quae falsis

[1] Des Pindars werke in die versmafse des originals übersetzt, p. 173 adn.

illis opinionibus nituntur ad irritum cadunt. Itaque Bullii sententia non sine mentis sagacitate excogitata redarguitur, qui probare conatus est Aiacis mytho poetam voluisse Melissum impellere ut etiam ad curulia certamina accederet aut tales conatus denuo susciperet; sed cum ante Isthmicam victoriam Nemeaea illa curulis victoria parta esset, ut vidimus, hac incitatione opus non erat. Melissus igitur cum Aiace comparari non poterat, quia semper vicerat; itaque ad alium mythus Aiacis spectare non potest nisi ad Cleonymidas, id quod aptissimum est. Nam v. 18 poeta iam indicavit gloriam curulem Cleonymidarum non semper in eodem fuisse statu; in iis autem versibus quibus victorias gentis enumerat etiam magnis illis omnium Graecorum communibus ludis Cleonymidas interfuisse dicit (v. 46 sq.); de victoriis autem in his ludis partis nihil legimus. Unde recte conclusum est in illis ludis Cleonymidas non vicisse; qua ex re iam apparet cur gentis fama curulis non semper eadem fuerit. Sed cum poetae priores (cf. v. 45) solum victorias gentis celebraverint, Pindarus etiam hos conatus laude effert atque etiam hoc loco ne de virtute Cleonymidarum male cogitetur providet. Saepe enim pergit Pindarus dicere victoriam ab hominibus virtute inferioribus fraude impetrari; sic etiam Aiacem esse superatum; Aiacis autem virtutem ab Homero in lucem revocatam posteris traditam et immortali gloria esse ornatam. Profecto his verbis etiam Cleonymidarum conatus in magnis ludis frustratos fraudi adversariorum Pindarus tribuit atque ita virtutem gentis ab omnibus probris defendit; simul autem, id quod haud dubie audiendum est, gloriam gentis suo carmine praedicatam immortalem fore Pindarus iudicat; quam sententiam quominus dicat expresse eadem modestia poeta Thebanus impeditur qua etiam in v. 61 eum usum esse vidimus.

Prorsus aliam sententiam Friederichsius,[1] qui carmina coniungit, de mytho Aiacis proposuit. Qui quamquam mythum ad Cleonymidas referendum esse non negat, Aiacem et Cleo-

[1] Philol. XIII p. 453.

nymidas inter se comparari ut ab adversarsiis victos vetat nexumque sententiarum hunc putat esse: Aiacis insignis virtus a Graecis contempta est; at Homerus eam laude extulit atque gloriam ei paravit immortalem. Ut autem Aiax, ita Cleonymidarum quoque gens, quamvis virtute praedita, neglecta eam gloriam non nacta est quae ei debebatur; sed ut Homerus Aiaci ita Pindarus Cleonymidis gloriam immortalem parare vult. Friederichsio igitur tertium comparationis non in eo positum videtur esse quod et Cleonymidae et Aiax deteriorum adversariorum fraude superati sunt, sed in eo quod virtus eorum ab aequalibus non laudem, ut par erat, sed neglectionem et repulsam tulerit; ita autem existimat ideo quod in versu 53 et 54, ubi de Aiace agitur, nihil de eius clade legitur; id tantum dictum esse Aiacem a Graecis vituperatum fuisse; praeterea Cleonymidas unquam in certaminibus inferiores fuisse poetam non dixisse; versus enim 46—48, qui vulgo ad Cleonymidas referuntur, Friederichsius ad Melissi victoriam Nemeaeam refert. Inde igitur effici putat in verbis *τέλος ἄκρον* v. 50 non victoriam, sed gloriam immortalem esse. Itaque certamina et gloriam immortalem, non certamina et victorias inter se opponi. Quam Friederichsii explicationem equidem non sequor, quippe quae verborum cohaerentiae non satisfaciat. Nam non solum v. 54 voluntaria Aiacis mors denotatur, sed etiam ex versibus praecedentibus (52—53), ubi poeta dicit etiam virtute insignes homines a deterioribus fraude superari solere, clare apparet eum hoc loco imprimis cladem Aiacis qua Ulixes eum affecerat in animo habuisse; nam propter hanc ipsam Aiax a poeta inducitur, ut praemissa sententia generalis:

> *καὶ κρέσσον᾽ ἀνδρῶν χειρόνων*
> *ἔσφαλε τέχνα καταμάρψαισ᾽*

Aiacis exemplo probetur. Quae cum ita sint, non recte facit Friederichsius quod hac verborum cohaerentia neglecta artificiosius quam verius summam vim in ea re ponit quae hoc loco in transitu magis additur. Quod enim Pindarus Homeri

rationem qua in comparationibus utitur secutus Aiacis calamitatem latius describit atque etiam commemorat, eum a Graecis fuisse vituperatum quod manus sibi intulisset, non est summa; nam ex arto nexu verborum *καὶ κρέσσον' ἀνδρῶν κτλ.* et *ἴστε μὰν Αἴαντος κτλ.* apparet maximam vim in eo esse quod Aiax Ulixis fraude erat superatus. Quare de Aiacis clade hoc loco non agi vix recte contenditur. Deinde omnino non concedit Friederichsius Cleonymidas in magnis illis ludis fuisse inferiores, versus 46—48 ad eos spectare negans, quod in versibus qui antecedunt de gloria gentis dictum sit; praeterea si in illis versibus clades Cleonymidarum significarentur, versum 11 sqq., ubi magnis in ludis Melissus vicisse narratur, non consonaturos esse. Quibus de causis Friederichsius illos versus 46—48 ad Melissi victoriam Nemeaeam refert. Equidem aliter sentio. Quod enim antea de gloria Cleonymidarum dictum est, id non obstat quominus hoc loco poeta ea quoque afferat quae, quamquam successu carebant, laude tamen ei digna videantur. Expresse enim etiam propter solos conatus poeta Cleonymidis laudem tribuit cum dicit *τῶν ἀπειράτων γὰρ ἄγνωστοι σιωπαί.* Itaque in hac re non haerendum est. Praeterea versus 46—48 tam arte cum iis qui antecedunt particula *οὐδέ* cohaerent ut non ad aliud pertineant nisi ad id quod antea significatum est; antea autem de antiqua gentis gloria dicitur, ut vidimus; unde efficitur ut etiam in versibus 46—48 de antiqua gentis fama agatur. Melissi autem gloria quae Nemeaea victoria parta est vix pro antiqua potest haberi. Deinde licet adhibito plurali *ἀπεῖχον* genti tribui possit una unius Melissi victoria, tamen poeta de eius laude detraheret, si satis haberet de ea dixisse *οὐδὲ πανηγυρίων ξυνᾶν ἀπεῖχον καμπύλον δίφρον,* quo nihil aliud significatur quam illum communibus omnium Graecorum conventibus interfuisse certaminis curulis partem habentem; itemque quod sequitur *τῶν ἀπειράτων γὰρ ἄγνωστοι σιωπαί* magis ad vincendi conatus quam ad vere paratas victorias aptum est. Quod denique Friederichsius putat v. 11 sqq. sententiam suam firmari errat; hi enim minime discrepant cum versibus

46—48, si clades Cleonymidarum in his sunt intellegendae. Nam eo quod antiquos Cleonymidas in magnis ludis vicisse poeta negat minime impeditur quominus Melissus tales victorias reportaverit. Friederichsius enim antiquos Cleonymidas et Melissum non discernit.

Videmus igitur omnia Friederichsii argumenta haud ita valida esse; causis autem reiectis conclusio ad irritum cadit. Quare verbis *τέλος ἄκρον*, quo Friederichsio significari videtur 'gloria immortalis', melius intellegitur 'victoria'. Quae vis eo aptior est quod ita sententia quae antecedit in v. 48 bene deducitur et absolvitur; nam cum ibi dictum sit eos qui non certant in obscuro manere, hic legimus, etiam eos qui certant, priusquam vicerint, famae teneri obscuritate. Aliter sane res se habet, si non inopia virtutis, sed fraude adversariorum qui certant sunt superati; vera enim virtus, etiamsi inferior fuerit fraude, a poetis non deseritur. Quod ad illustrandum inserit Pindarus Aiacis mythum, cuius viri singularis virtus ab Homero iustam consecuta est laudem. Nam ut Homerus Aiacis, ita Pindarus Cleonymidarum virtutis praeco est.

Adversariorum sententiis reiectis sequitur ut totum sententiarum carminis nexum evolvamus. Ineunte igitur carmine poeta generaliorem hanc sententiam proponit: si quis ornatus gloria certaminum aut felix divitiarum copia animum prohibet a fastidiosa insolentia, dignus est laudibus civium suorum; ubi vero gloriose res gestae sunt, praeter civium laudes etiam carminis muneribus est opus. Haec est principalis carminis sententia (1—8), ex qua et Cleonymidarum et Melissi laus ducitur. Deinde poeta ad victorias transit Melissi atque commemorat et Isthmicam eius et Nemeaeam, qua altera dignum se praestitit Melissus patribus suis, qui magna gloria curribus parta usi sunt atque magnis divitiis praediti certaminibus semper studuerunt curulibus. Post quae continuo poeta adiungit gloriam gentis curulem non semper in eodem statu fuisse atque ita conclusionem facit eius partis quae pro exordio haberi potest (1—18). Postquam igitur in exordio paucis adumbravit cur

Melissus et Cleonymidae essent celebrandi, iam propositam hanc sententiam planius explicat. Atque priore quae sequitur parte Cleonymidas (19—60), posteriore Melissum (61—90) laude effert, idque ita instituit ut etiam in illa parte Melissi virtutis fiat mentio (37—42). Exordium quomodo cum priore parte cohaereat ex versibus 19—21 cognoscimus. Pindarus enim, postquam Melissi et Cleonymidarum virtutes tanquam summatim commemoravit, pergit dicere: sunt mihi deorum beneficio innumerae viae, quas ingrediar, Melisse, (praeclaram enim mihi dedisti Isthmiis copiam) vestras virtutes hymno persequendi. Sic poeta non solum ad reliquum carmen transitum sibi parat, sed etiam nominatis Isthmiis indicat utra victoriarum quas in exordio commemoravit carminis pangendi occasio oblata sit. Hoc modo poeta incipit Cleonymidas efferre, quae pars et ipsa bipartita est. Ac priore quidem (19—36) loco semper illos floruisse virtutibus atque dis placuisse dicit, quamquam secundo vento non semper usi essent; pergit de civilibus gentis et bellicis virtutibus dicere atque in fine cur supra de adverso vento locutus sit explicat narrans quattuor Cleonymidas uno die bello esse interfectos. Deinde altero loco (37—60) huic infortunio Pindarus opponit gloriosas illas victorias Melissi, imprimis Nemeaeam qua curulis gloria gentis antiqua erat restituta, sic tristi laetam rem opponens simulque commodum sibi parans transitum ad gloriam Cleonymidarum curulem, quam supra in exordio iam indicavit. Quorum victorias Athenis et Sicyone partas postquam memoravit atque laudem poetarum ex iis comparatam, etiam de iis inceptis quae successu carebant porro dicit, et cum antea solae victoriae gentis a poetis praedicatae sint, etiam ex his infelicibus inceptis laudem ducere non veretur; prospero enim eventu illos adversariorum dolo frustratos esse dicit. Quare Cleonymidas comparat Pindarus cum Aiace, quippe qui, quamvis magna virtute insignis fuisset, ab Ulixe superatus mortem sibi consciverit. Haec persecutus poeta ad Melissi transit laudem, qua parte (61—90) conclusionem facit carminis. Transitum petit poeta ex iis quae proxime

antecedunt, ubi Homeri exemplo admonitus quanta vis inesset in poetica laude dixit (58—60); quae vis ne in Melisso praedicando sibi desit ipse a Musis petit. Praeterea huic parti cum superiore alia[1] quoque ratio videtur intercedere. Cum enim Melissi maiores antea laudati sint, quod quamquam calliditate victi fortitudine tamen eminuissent, ipse Melissus, qui animo leo, mente vulpes dicitur, ideo praedicatur quod prudentiam cum fortitudine coniunxerit; itaque Melissus est caput quasi totius gentis Cleonymidarum. Imprimis autem hac parte Isthmicam Melissi victoriam poeta laudat, quippe cuius victoriae festo die totum carmen sit cantatum; de Nemeaea, quae supra iam erat illustrata, et in initio et in priore carminis parte (37—42), nihil iam additur. Laudat poeta magnum Melissi robur, quod in parvo eius corpore inerat eumque cum Hercule comparat et propter hanc rem et quod Hercules imprimis patronus erat artis luctandi,[2] qua Isthmica victoria erat reportata. Praeterea poeta ex Herculis comparatione aptum sibi parat transitum et commodum ad priores Melissi victorias, quas Thebis in ludis ad Herculis liberorum honorem celebratis assecutus erat. Ita nos docet poeta Melissum iam a puero exercendo corpori operam navasse praeceptis Orseae magistri libenter oboedientem. Simul autem Thebaicarum Melissi victoriarum commemoratione aptissimam et comparationis et totius carminis facit conclusionem.

Argumenti perpetuitate exposita restat, ut paucis de sententia quadam Mezgeri dicamus. Hic enim, qui Pindari carmina in nomi Terpandrei partes dividenda esse cum aliis opinatur, novum argumentum quo sententiam quae a nobis defensa est firmaret in eo invenisse sibi videtur quod in iisdem versibus et pedibus diversarum stropharum verba quaedam repetuntur. Dicit enim haec:[3] ‘diese beobachtung (dicit repetitionem quorundam

---

[1] Hoc Perthes vidit. (Cf. Annal. Fleckeisen. CV p. 223.)

[2] Preller, Griech. Mythologie II p. 127.

[3] L. l. p. 26 sq.

verborum) liefert einen schwerwiegenden einwand gegen die von Bergk noch in der 4. auflage der poetae lyrici Graeci beibehaltene trennung der dritten isthm. ode in 2 teile. Denn dort redet die *κατατροπά* (v. 19—24) davon, dafs die Cleonymiden um des Melissos willen besungen werden sollen, und die *μετακατατροπά* (v. 61—63) enthält den wunsch, auch dem Melissos selbst eine liederfackel anzuzünden; beidemal nimmt der name des Melissos die gleiche stelle des zweiten verses der strophe (antistr.) ein.' Valde miratus sum quod ille ex hac re carmina coniungenda esse conclusit. Licet enim consulto poeta tales repetitiones instituerit, nihil tamen valet quod in eadem sede v. 20 et 62 nomen Melissi itemque in v. 21 et 39 vox *ὕμνος*[1] occurrit; nam utrumque in quarto carmine fit, quod et ipsi Bergkio unum est. Sane aliter res se habet, quod eodem modo *ἀρετάν* in v. 13 et 31 legimus; sed hoc non posse fortuitum esse equidem pro certo non habeo.

Sed ut extremum habeat disputatio, paucis verbis quae explicata sunt complectamur. Vidimus igitur in carmine quarto et Nemeaeae et Isthmicae mentionem fieri victoriae atque primam stropham carminis quarti meram repetitionem epodi carminis tertii minime posse haberi, praeterea nec quartum nec tertium carmen a Pindari ratione aut ingenio esse alienum. Deinde causas exposuimus ex quibus carmina coniungenda esse viderentur atque demonstravimus, si disiungantur carmina, alterum non Pindaricum in modum finiri, alterum non Pindaricum habere exordium. Tum metro, quod idem est, et sententiarum quam ostendimus cohaerentia evicimus nos non duo hic habere carmina in Melissi honorem scripta, sed unum et simplex. Quae cum ita sint, quin carmina coniungi et pro inscriptione *ἵπποις* scribi *παγκρατίῳ*, id quod Boeckhius iam fecit, necesse sit nulla dubitatio mihi videtur esse.

Unum sane restat quod non expedivimus, dico discrepantiam codicum. De qua satis habeo ea laudasse quae Hermannus

[1] P. 286.

dicit:[1] ‘videtur enim iam antiquissimis temporibus ea carminis pars quae nunc quarti carminis titulum gerit a quibusdam exemplaribus afuisse. Id et inscriptio *ἵπποις* indicat et quae eius explicandae causa scholiastes dixit: *πρόσκειται δὲ τῇ ᾠδῇ ἵπποις, διὰ τὸ μὴ δηλοῦν τὸν Πίνδαρον τὸ τοῦ ἀγωνίσματος εἶδος πότερον κέλητι ἢ τεθρίππῳ· μόνον δὲ ἱπποδρομίᾳ λέγει ἐστεφανῶσθαι.* Post ex aliis exemplaribus integratum carmen fuit’.

[1] Not. ad Pind. p. 400.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

CUI INSCRIPTUM EST:

PINDARI CARMEN ISTHMICUM TERTIUM NUM IN DUO CARMINA DIVIDENDUM SIT

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

A. DIEM V. KALENDAS IAN. A. MDCCCXCV HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

IOANNES BOEDEKER
GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

IOANNES WINTERHOFF, CAND. PROBAT.
FERDINANDUS RIELAND, CAND. PROBAT.
HENRICUS HOPPE, CAND. PROBAT.

MONASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.
MDCCCXCV.

Theses.

I. In Claudian. II v. 17 sq. (= in Rufinum l. I praef. v. 17 sq. contra Birtium et Kochium lectionem vulgatam restituendam esse censeo, ut legatur inde a v. 15:

> Nunc alio domini telis Pythone perempto
> Convenit ad nostram sacra caterva lyram,
> Qui stabilem servant Augustis fratribus orbem
> Iustitia pacem, viribus arma reg**unt**.[1])

II. Catulli c. LXI v. 54 pro 'timens' scribendum est 'silens'.

III. Caesar. b. G. I 54, 1 sic propono: 'quos Ubii, qui proxim Rhenum incolunt, perterritos **ubi** senserunt, insecuti magnum ex his numerum occiderunt'.

IV. Soph. Oed. r. v. 217 pro *τῇ νόσῳ* legendum esse *τῷ θεῷ* cum Nauckio consentio.

V. Soph. Antig. v. 905 sic legendus est: *οὐ γάρ ποτ᾽ οὔτ᾽ ἂν εἰ τέκν᾽ ὦν*[2]) *μήτηρ ἔφυν*.

---

[1]) Birt et Koch v. 17 'servans', v. 18 'regit' (sive 'regat' Bücheler. Ita in codice B, sed sic ut sit 's' et 't' in rasura.

[2]) Codices *τέκνων* praebent.

Vita.

Natus sum Ioannes Boedeker Paderbornae, Guestfaliae oe, a. d. XV Kal. Mai. a. h. s. LXVII patre Antonio, ıtre Gertrude e gente Mueller, qui quod etiamnunc vigent o gratias ago maximas. Pater in cursus publici administra- ıne scribae superioris munere fungitur. Fidei addictus sum tholicae. Primis litterarum elementis postquam in patria urbe butus sum, autumno a. h. s. LXXVII scholam quae vocatur ıtinam Halis Saxonum adii, secundam autem et primam ıssem in gymnasio Herfordensi frequentavi. Testimonio quod ›cant maturitatis instructus vere a. h. s. LXXXVII me contuli academiam Monasteriensem, ubi annum complevi, dein Lipsiae ›r bis senos menses versatus redii ad academiam Monasterien- m, ubi per quater senos menses litteris vacavi.

Docuerunt me Lipsiae V.V. D.D.: Ribbeck, Lipsius, 'achsmuth, Wundt, Zarncke; Monasterii scholis interfui ıas habuerunt V.V. D.D. Hagemann, Langen, Milch- ›efer, Spicker, Stahl, Storck. Quibus omnibus gratias ıas debeo maximas ago semperque habebo.

Autumno a. MDCCCXCII examine pro facultate docendi ›rfunctus annis insequentibus in gymnasio Warburgensi et 'onasteriensi praeceptor fui; nunc Berolini arti gymnasticae ıdeo.